

M. ÆMILII PORTI, FRANCISCI PORTI, CRETENSIS F.
Notarii Imperialis, DE NIHILI ANTIQUITATE, ET MUL-
TIPLICI POTESTATE TRACTATUS. CASSELLIS Ex offi-
cina typographica MAURITIANA, opcrâ Wilhelmi Wessellii
typographi. ANNO M.DC.IX.

In-4° de 8 ff. non chiffrés, dont le dernier est entièrement blanc.
Plaquette latine de la plus grande rareté.

Les ff. 2-3 sont occupés par la très curieuse préface suivante :

M. ÆMILII PORTI, FRANCISCI PORTI CRETENSIS F., NOTARII
IMPERIALIS, DE NIHILI ANTIQUITATE ET MULTIPLICI
POTESTATE TRACTATUS NULLI DEDICATUS.

Non dubito quin hoc novum dedicationis genus novam in multorum animis admirationem sit subito moturum, illorum præcipue qui sua tantum laudare noverunt, aliena vero spernere consueverunt. Cur enim (curiosi curiose quærent), cur Portus, qui suam scapham variis tempestatum procellis in alto maximis cum periculis adhuc fluitantem atque iactatam videt, ad proximum atque tutissimum Herois clementissimi portum recta cursum dirigens remis et velis appellere veretur? Cur NULLUM optimo, potentissimo et clementissimo Principi (sub cuius fortissimo patrocinio, favente Deo, vitam rationi consentaneam et virtuti congruentem degere statuit) in hac novi tractatus dedicatione, per nescio quam importunæ verecundiæ speciem anteposuit? Quid ad hæc Portus? Quomodo, quibus verbis honeste se purgabit? Huiusmodi voces et querelas accusationum plenas iam auribus mihi videor audire. Sed qui Porti mentem consiliique iudicium intellexerit, de Porto conquæri statim desinet.

Cum enim Portus in Germaniam primum venit, NULLUS ipsi, cum lectissimo totius Germanicæ nobilitatis flore, tanquam Cæsari, processit obviam. NULLUS ipsum in pulcherrimas et munitissimas quasque principum arces honorificentissime

